

tiam Dippelianam suo cognovisset tempore Julianus Apóstata, nulla me incesisset admiratio, cur de Constantino M. ejusdemque Religione Operum suorum p. 336. De Imperat. & Cesaribus cavillari potuerit: Constantinus cum inter Deos vita sua exemplar & archetypum non reperiret, proximam sibi deliciarum Deam cernens, ad eam se contulit. Quæ ipsum molliter suscipiens & ulnis fovens, muliebribus vestibus multa varietate nitentibus adornatum & contum ad luxuriam deduxit. Quo in loco ille etiam Filium suum reperit morantem, omnibusque hac denunciante: Quisquis mulierum corruptor, quisquis homicida est, quisquis piaculo aut execrando scelere se obstrinxit, fidenter huc adito. Etenim simulatque hac aqua ablu- tus fuerit, illico ego eum purum reddam. Quod si isdem rursus se flagitiis contaminaverit, efficiam, ut tunso pectore & capite percusso expietur: Talem enim religionem dempto & deleto Christi merito fabricabit Dippelius per omnes circumstantias, nam ad solos hominum conatus, machinationes & opera omnis fidei & religionis curtus recidet & flagitia scelestissima, quod in corporibus demum contingunt, ad animam non penetrabunt, potius abs animâ, quod satisfactionem non expolcant, citra omnem efficaciam, quin memoriam mortis & passionis Christi dimittentur. hem absurditatem!

§. 21. Sed penitus error est lustrandus, observari itaque debet, quod Christus non nudè tantum legerit, sed & velut *ἀναγνώσις* explicaverit Locum Jesaianum Luc. IV. 17. collatis 1c. iis, quæ quodammodo huic spectare videbantur. Conf. Dn. D. Gebhardus cont. R. Isaak Ben. Abraham & ejus: *Munimen fidei*. De sententia autem Dippelii habeas hoc, quod in politicis simul ac Theologicis fallat,

In Politicis quidem procedet nunquam, nam si simile delinquentis ejusque dimissio consideratur, tunc dimitti ad emendationem non potest, antequam remissa & satisfactione interveniente diluta sit inquisitio; in specie enim finis internus inquisitionis & poenarum est impletio officii judicis, quatenus illud circa punitionem delictorum versatur. Vid. Henricus Michaelis *De Inquisitione criminum* cap. XXII. p. 711. ut scilicet securitas floreat publica

publica